

Bernhardus de Trebzin, Cunradus de Mutsin, Petrus de Chulme, Ulricus antiquus de Donin, Henricus de Becelnewiz, Hartlip de Gurbewiz, Henricus et Albertus fratres de Sterenberc, Henricus Shotte, Henricus de Chorun, Heldolfus, Albertus Polonus, Cunradus pincerna, Cunradus de Brezeniz, Hildebrandus capellanus, Rabenoldus et Ulricus scriptores marchionis, Otto filius burcgravii de Donin, Henricus de Frankenberc, Cunradus Spanseil, Hugo de Ysenberc, Cunradus Silstranc, Burkardus Nichist, Timo de Lome, Wernherus Rinc, Fridericus de Cemin, Wernherus de Ertmaresdorf, Mecelin, Knapatz officii curiae, Bernhardus de Sessov, Cunradus de Yla, Wolframus et Petrus fratres de Shellenberc, Heidenricus et Vlricus capellarii, Vlricus canonicus Misnensis, Henricus marscalcus. Acta sunt haec Dresdene anno ab incarnatione domini M<sup>o</sup>CC VI<sup>o</sup>, indictione IX<sup>a</sup>, II. Kalendas Aprilis, anno domini Phylippi regis augusti regni VIII<sup>o</sup>, feliciter amen.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem sehr wohl erhaltenen Reitersiegel des Markgrafen an hänfener Schnur.

Sehr fehlerhaft im Auszug bei Hasche Gesch. Dresdens. Urkundenb. S. 3. und angeblich nach dem Orig. Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 44.

#### No. 75. 1206. 13. Dec.

*B. Dietrich II. und das Capitel übernehmen dankbar die vom Cistercienser Ludger von Altzelle ihnen dargebotene Schrift des Augustinus de civitate dei und verpflichten sich zu Festhaltung der Bedingung den Jahrestag dieses grossen Kirchenlehrers festlich zu begehen.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Teodericus dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus et capitulum. Cum innumeris vitiorum maculis cotidie sordescat vita humana, in eo potissimum ut speramus divinae proximamus indulgentiae, si eis saltem obsequii aliquid impendimus, qui ecclesiam dei prae ceteris et exemplis erexerunt et doctrinis correxerunt. Notum itaque facimus tam praesentibus quam futuris filiis ecclesiae, quomodo veniens ad nos familiaris noster amicus, Ludgerus monachus de Cella sanctae Mariae, librum sancti Augustini de civitate dei permissione abbatis sui ecclesiae nostrae devotus contulit, petens a nobis humili precum instantia, quatinus natalem diem eiusdem beati Augustini episcopi atque doctoris eximii cum novem lectionibus et festivo diei officio annis singulis vellemus peragere. Proinde nos non sustinentes, ut tantum lumen ecclesiae in humili memoria tamquam sub modio diutius esset opertum, unanimi et voluntario voto gratis in hoc omnes consensimus, ut super candelabrum ponatur et in celebri memoria festum eius et a nobis et a posteris nostris annuatim agatur, ut luceat omnibus, qui in ecclesia nostra sunt, sperantes in misericordia dei nostri, quod per ipsius beati patris merita in fide catholica, pro qua idem vigilantia cura laboravit, Misnensis ecclesia inconcussa perpetuo perseveret, optantes, ut quicumque diem ipsum debita cum veneratione peregerint, bonis omnibus nunc et semper perfrui mereantur. Si quis vero de nostris, quod non speramus, huic nostrae constitutioni refragari praesumpserit, dei et omnium sanctorum suorum odium habeat et a deo atque a beato Augustino tamdiu alienum se esse cognoscat, donec a temeritate sua resipiscat. Quod videlicet malum ab omnibus posteris nostris remotum esse cupientes, praesentem paginam de modo facti huius